




DE

ARTIS IMAGINANDI AD SCRIPTVRAM SACRAM INTERPRETANDAM APPLICATIONE

DISSERTATIO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

PRAESES

M. IOAN. HENR. VINC. NOELTING

HAMBVRGENSIS

ET

RESPONDENS

MICHAEL DANIEL STEEN

HAMBVRGENSIS.

D. VIII. APRILIS cIↄ Iↄ CCLVIII.

IENAE

LITERIS SCHILLIANIS.

VIRO
MAXIME REVERENDO
ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI ANDREAE NOELTINGIO

VERBI DIVINI AD AEDEM SANCTI MICHAELIS
APVD HAMBVRGENSES
MINISTRO FIDELISSIMO

PARENTI OPTIMO

DISSERTATIONEM HANC SACRAM ESSE
IVBET

FILIVS OBEDIENTISSIMVS
IOANNES HENRICVS VINCENTIVS NOELTING.

VIR MAXIME REVERENDE
PATER OPTIME!

Non opus est, causas enumerare, quibus adductus apud me constituerim, paginas has TIBI *sanctas tradere iisque Nomine* TVO *decus conciliare et ornamentum. Quodsi enim grati animi est, beneficiorum in se collatorum fructus iis dicare, quibus illa accepta refert; quis non videt, me ne vnicum temporis momentum haesitare potuisse,* TIBI *academicas meas primitias offerre.* TV *enim,* MAXIME VENERANDE PATER, *non tantum ad suscipiendam et ingrediendam studiorum rationem princeps mihi exsti-*

exstitisti atque inde a tenerrima pueritia et per omne tempus, quo intra limites Patriae dulcissimae tenebar, ne minimum eorum neglexisti, quibus facultas et occasio discendarum scientiarum vtilium augeri poterat et amplificari; sed deinde etiam, quum extra limites studia erant proferenda, per triennium pro insigni et TVO *amore omnia illa subsidia largissime es impertitus, quibus instructus studiorum meorum cursum in hac celeberrima Salana felici cum successu continuare potui. Atque vt huic benignitati* TVAE *in me prorsus singulari supremum adderes cumulum, potestatem mihi dedisti, in hac musarum sede amplius commorandi, et discendo docendoque me magis magisque aptum reddendi, quo aliquando eas officii partes rite implere possim, quas Deus et Patria forsan sint imposituri. Accipe ergo,* OPTIME PATER, *ea quae* TIBI *debentur, quaeque iure* TVO *a me repetere potes: sed accipe non tam vt laborum meorum fructus quam potius vt animi filiali*

 pietate

pietate TIBI *deditissimi signum. Supremum, quod in coelis est, Numen supplex veneror, vt* TIBI *quas in ipsius ecclesiam docendam et aedificandam impendis atque consumis vires in dies instauret, ac insignis* TVAE *in hac re fidei id certe praemii praebeat, vt eorum coetum copiosissime videas amplificatum, quibus vera religio curae sit cordique, quibusque Christus fiat potentia atque sapientia diuina. Ita* TE *saluum atque incolumem praestet benignissimum Numen, quo et ego Paterni* TVI *amoris in me documenta amplius experiri,* TE*que in Patriam carissimam aliquando rediturus etsi aetate senem viribus tamen firmum atque validum deprehendere possim. Scripsi Ienae d. IV. April. cIↃIↃCCLVIII.*

PRO-

PROOEMIVM.

Circumſpicienti mihi rem pro officii mei ratione pertractandam ſtatim ſeſe obtulerunt varia Hermeneuticae ſacrae momenta, quae a nonnullis Sacri Codicis interpretibus non quidem ignorantur nec plane negliguntur, verum tamen haud raro ita adhibentur, vt non videatur ſuperfluum, quaedam ad ea vberius intelligenda et curatius applicanda in medium afferre. Quod quidem, niſi me omnia fallunt, de eo etiam, in quo perſequendo verſaturus ſum, argumento aliqua ratione valet. Scilicet inter omnes conſtat, homines, dum loquuntur et agunt, ſeſe accommodare ſtatui in quo ſunt conſtituti, ſtatum hunc autem confici omnibus determinationibus actualibus ad ſe pertinentibus. Igitur quod de omnibus et ſingulis hominibus verum eſt, idem valet et generatim de iis, quorum dicta aut facta literis ſunt conſignata nobisque tradita, et ſpeciatim de ſcriptoribus ſacris aeque ac iis, quorum verba aut actiones in ipſa ſacro Codice relata legimus. Iam, quum Scriptura ſacra norma ſit diuinitus data fidei atque vitae, nosque adeo ſumme obligati ſimus, omnium eorum, quae in

ea

ea continentur, verum eruere ſenſum, e re noſtra eſt, omnium rerum immo minutiarum rationem ducere, quarum conſideratione aliquid claritatis ſenſui afferri poteſt. Ex quibus patet, nos in ſcriptura ſacra explicanda admodum ſollicitos eſſe debere de omnibus iis circumſtantiis, quibus et ſcriptores ſacri in ſcribendo, et alii, qui ab ipſis inducuntur, in loquendo aut agendo fuerunt circumſcripti. Quae autem quum ad tempora antiqua et loca remota pertineant, in iis cognoſcendis atque nobis repraeſentandis erit allaborandum ope iſtius animi facultatis, qua nobis abſentia repraeſentamus, quae vocatur *imaginatio*. Sed et habitus in hac re acquirendus atque totum negotium facilius reddendum, immo opera danda eſt, vt res illae abſentes ſimul et ita fere, ac ſi nobis praeſentes eſſent, animo obiiciantur, quo auctoris explicandi totam velut perſonam induamus atque eo curatius verum verborum et actionum ipſius ſenſum ſolide perſpiciamus. Iam vero facultas ad habitum perducta *ars* audit: Igitur non dubitaui, hanc tractioni meae inſpriptionem dare, quod verſetur in *Artis imaginandi ad ſcripturam ſacram interpretandam applicatione.* Rem vero ita optime conficiendam eſſe putaui, vt prima ſectione principia generaliora eaque ex Pſychologia aeque ac Logica petita ponerem, quibus ea, quae ad imaginandi artis naturam et applicationem generalem pertinent, illuſtrantur; deinde vero altera ſectione eius ſpecialem ad ſcripturam ſacram interpretandam applicationem huiusque et fundamentum et rationem oſtenderem, et, ſicubi opus fuerit, exemplis e ſacro codice petis illuſtrarem. Quae quidem omnia vt B. L. aequi bonique conſulat, decenter rogo.

SECTIO

SECTIO I.

EXHIBENS PRINCIPIA GENERALIORA.

§. I.

Artem imaginandi dico habitum animi absentia sibi repraesentandi fere vt praesentia. *Praesentia* autem (determinato scilicet tempore eaque externa) sunt ea, quae in organis corporis nostri sensoriis motus certos producunt, quibus in animo respondent eorum perceptiones. *Absentium* opposita est ratio. Artis imaginandi 1) definitio.

Generaliorem artis imaginandi definitionem tradidi, quamuis non sim nescius, imaginationis nomen a quibusdam in significatu generalissimo pro facultate mentis imagines rerum corporearum, siue praesentium, siue absentium concipiendi, ab aliis vero pro ea imaginationis specie accipi, qua perceptiones rerum absentium, quae tamen olim nobis praesentes fuerunt, reproducuntur. Conf. S. R. I. P. REVSCH Syst. metaph. §. 339. Habeo autem consentientem Ill. I. G. DARIES Psych. empir. Sect. I. c. II. §. 37.

Monen-

Monendi etiam mihi videntur lectores de eo, quem addidi, charactere, quod ars imaginandi non tantum absentia, sed eadem *fere vt praesentia* repraesentet. Scilicet ad imaginationem, non quatenus est facultas sed quatenus vt habitus et ars quaedam consideratur, hanc determinationem requiro; alioquin enim discrimen sensationum et operationum imaginationis tollere atque id, quod in furiosis et mente captis tanquam animi vitium occurrit, cum attributo animi humani confundere viderer, nisi forsan particula *fere* etiam ad hoc dubium euellendum sufficeret.

§. II.

2) Distinctio. Ars imaginandi versatur in repraesentandis rebus absentibus (§. 1.) Absentia autem respectu nostrum aliis possunt esse praesentia. Oritur inde quaedam huius artis distinctio. Quando scilicet illa versatur in rebus absentibus, quatenus tamen aliis fuerunt praesentia, repraesentandis, eam vocare liceat *Artem imaginandi aliena*; si non, *Artem imaginandi propria*. Sed et haec iterum distingui potest. Ea nempe, quae a nobis certo tempore absentia sunt, alio tamen tempore vel fuerunt nobis praesentia, et quidem eadem ratione, qua ope artis imaginandi denuo repraesentantur *, vel non, h. e. ne alio quidem tempore adeoque nunquam nobis praesentia fuerunt eadem ratione, qua ope artis imaginandi denuo repraesentantur. Quodsi ad illa se refert ars imaginandi propria, vocetur *strictior*; si ad haec, *liberior*, seu, vt ab aliis vocatur, *ars fingendi*.

* Earum enim rerum corporearum, quae nunquam, ne quoad singulas partes quidem, nobis praesentes fuerunt, ideam animus sibi formare nequit sensualem. Ergo si etiam res absentes alio tempore non eadem ratione, qua denuo repraesentantur, praesentes fuerunt, necesse tamen

men eſt, earum partes, licet non ſimul et eodem tempore, praeſentes olim nobis fuiſſe. Ita ſibi aliquis equum alatum repraeſentare non poteſt, niſi qui certe quondam equum, alio tempore alas, vidit, quamuis nec in rerum natura neque in tabula ficta aut ſculpta aut alia ratione imaginem equitis alati praeſentem habuerit.

§. III.

Quoniam autem omnes noſtrae notiones ſenſationibus ortum debent, non mirum eſt, *fundamentum* artis imaginandi in ſenſu poſitum eſſe, licet varia pro varietate obiectorum ratione. Fundamentum artis propria imaginandi *ſtrictioris* ex imaginationis lege patet ſatis ſuperque nota; *liberioris* eſt rerum, quas in repraeſentatione combinamus in ſe conſideratarum et poſſibilitas et compoſſibilitas, * earumque ea ad nos relatio, vt certe ſeparatim et quoad partes nobis aliquando fuerint praeſentes. Artis autem imaginandi aliena triplex concipi poteſt fundamentum: *primum* narratio ** aliorum de induſtria et eo fine facta, vt inde nobis earum rerum, quas ipſi ſenſuum ope ſibi repraeſentarunt, ideas formemus; *deinde* alia in eorum ſiue dictis ſiue ſcriptis obuia ex quibus vel certo vel probabiliter eas circumſtantias, de quibus laboramus, eruere atque inferre poſſumus; *denique* et aliorum teſtimonia, eaque varii generis, de quibus pluribus agemus, quum ad ſpecialiora ventum fuerit. 3) Fundamentum.

* Etenim ea, quae, licet per ſe exiſtere poſſint, non ſunt compoſſibilia, neque in animo noſtro combinari et tanquam totum aliquod actu repraeſentari poſſunt, v. gr. ferrum ligneum.

** Quae quidem narratio fieri poteſt non verbis tantum ſed et aliis ſignis, imaginibus ſcilicet pictis aut ſculptis, immo et earundem repraeſentatione dramatica.

§. IIII.

4) Subsidia. Artem imaginandi animi ad hanc rem facultatem et dispositionem ponere patet. Quae quum experientia teste in hominibus mox maior mox minor sit, non dubitandum est, quin et ars haec mox faciliori comparetur negotio mox difficiliori. Dantur autem subsidia, quibus cum successu hic vti possumus, quibus vero prolixius tractandis iam merito supersedemus, quum otium nobis in hac re fecerit *Daries* in den ersten Gründen der philosophischen Sitten-Lehre §. 105-113. et §. 240. Vnicum addo, quod ad artem aliena imaginandi attinet, remouendas nimirum esse eas notiones, quae in hoc negotio ex nostro statu petita facile animo obseruari possunt, sed a rerum veritate saepissime abhorrent: adeoque v. gr. cauendum, ne antiquorum temporum aut peregrinorum populorum opiniones, ritus etc. ex nostris opinionibus, ritibus etc. fingamus.

§. V.

5) Finis. *Finis* artis imaginandi generatim consideratae isque *proximus* est cognitio illa rerum absentium fere vt praesentium, quam ope huius artis nobis comparamus. *Remotiores* dantur plures, non solum pro variis hominum conditionibus, verum etiam pro obiectorum, in quibus ars illa versatur, quaeque eius quasi species constituunt (§. II.) varia ratione. Nos vero, missis iam iis, quae ad artem propria imaginandi pertinent, eius tantum artis, cuius ope aliena imaginamur, finem videamus. Qui quidem et *generatim* et *speciatim* potest considerari. Generatim artis aliena imaginandi finis est, vt pluribus illis, quae aliorum animis obuia fuisse nouimus, simul et iuxta se inuicem in animo repraesentatis materia quasi nobis praebeatur, ad quam reflectamus. Quemadmodum enim facultate reflectendi h. e. plura ad se inuicem ita referendi seu inter se comparandi, vt eorum aut identitatem vel similitudinem, aut non-identita-

titatem vel dissimilitudinem cognoscamus, praecipue distamus a brutis, eaque principium est omnium nostrarum notionum distinctarum et abstractarum; ita et notionum, quas et sensus et imaginationis adeoque et artis aliena imaginandi ope nobis formamus, finis generatim is est, vt ad eas reflectamus, i. e. vt acquisita per attentionem vnius cuiusque rei notione clara eas notiones ad se inuicem referamus, inter se comparemus atque inde perspiciamus, num illae sint eadem vel similia seu inter se conueniant, an vero non-eadem sint vel dissimilia seu inter se non conueniant. Quo facto facili negotio iudicia vniuersalia, hisque iterum ad se inuicem relatis ratiocinia formamus, adeoque ex cognitis ignota inuenimus.* Qui quidem finis generalior iam in arte aliena imaginandi specialiori ratione determinari potest. Scilicet actu adhibemus habitum, ea, *quae alteri certo tempore praesentia fuisse* nouimus, eaque a nobis iam absentia in animo tamen ita fere repraesentandi quasi essent nobis praesentia, vt

1) ea non tantum inter se comparemus atque inde cognoscamus, num alterum cum altero consistere possit nec ne, sed et praecipue eo fine, vt illa referamus ad illum animi statum, in quo constitutus fuerit eo tempore is, cui ista tum fuerunt praesentia, atque huius animi status veram nobis ideam formemus. Nam ex Psychologia notum est, animi humani repraesentationes respondere ei statui determinato, in quo corpus ipsius constitutus est, et in quo certas impressiones in organa sensoria corpus accepit et in cerebrum propagauit; volitiones autem et nolitiones respondere iis ideis, quae hac ratione siue eo tempore siue antea productae sunt et in habitum abierunt. Iam vero nobis recte ideam huius status formare possumus repraesentando nobis ea, quae alteri praesentia fuerunt, nobis vero sunt absentia quidem, cognita tamen: (§. III). quoniam, remotis iis, quae contingenter animo nostro a statu nostro actuali

 saepe

ſaepe diuerſiſſimo a ſtatu alterius, obiiciuntur (vid. §. IIII. Fin.) animorum humanorum quoad eſſentiam et attributa eadem eſt ratio, nosque adeo certi eſſe poſſumus, eum animi ſtatum, in quo conſtitutos nos deprehendimus, dum circumſtantias illas fere vt praeſentes easque ad nos relatas nobis repraeſentamus, ſimilem eſſe ei animi ſtatui, in quo conſtitutus fuit ille, cui actu eaedem circumſtantiae certo illo tempore praeſentes fuerunt.

2. Vt de iis, quae nos in hoc ſtatu, quem vt vere noſtrum ope artis aliena imaginandi fingimus, cogitamus, volumus, dicimus atque agimus, ea quae alter in eodem ſtatu cogitauerit, voluerit, dixerit atque fecerit, inferamus. Eadem et hic eſt ratio. Vti enim repraeſentationes hominum corporis eorum ſtatui, et volitiones repraeſentationibus reſpondent; ſic verba et facta vtrisque reſpondere tam hominis eſſentia et natura, quam experientia docet quotidiana.

3. Vt inde alterius tam verborum, quae ſcripſit aut locutus eſt, quam factorum, quae tum patrauit, verum ſenſum eruamus. Quodſi enim verum eſt, hominis dicta atque facta reſpondere ſtatui animi ipſius, hoc in animo noſtro producto non poſſumus non perſpicere, an ea, quae ille locutus eſt aut egit, eidem ſtatui conueniant nec ne, adeoque perſpicere, ſi certum eſt atque indubitatum, eum haec dixiſſe aut egiſſe, quinam et dictorum et factorum ſenſus ad totum ſtatum accommodatus ſit adeoque pro vero habendus. ** Atque haec certitudo, ſi etiam non ſemper ad ſummum prouehi poſſit faſtigium, tamen vt plurimum ad eum gradum accedit, vt pro certitudine morali haberi poſſit: quae in rebus, vbi mathematicam certitudinem aſſequi non poſſumus, ſufficit.

* Quae de reflectendi facultate breuiter tantum attigi, vberius explicata videas in Excell. H. S. *Reimari* Vernunft-Lehre §. 24. ſſ. et 57. ſſ.

** Alia

** Alia quidem prorſus eſt ratio eorum, qui ea, quae cogitant aut volunt, diſſimulare, aut, quae non cogitant aut nolunt, ſimulare conantur: at vero et ipſius ſimulationis aut diſſimulationis in circumſtantiis fundamenta aut in eorum dictis et factis veſtigia reperire haud raro licet. Quo facto certum habemus principium, cuius ope verus ſiue verborum ſiue actionum ſenſus nobis conſtare poteſt.

§. VI.

Denique in hac ſectione generali de artis imaginandi *perfectione* erit agendum. Quemadmodum vero omnis perfectio tam multitudine et varietate eorum, quae in vnum, ſiue ſimplex hoc fuerit ſiue compoſitum, conſentire debent, quam ex ipſo illo conſenſu aeſtimatur; ita et in determinanda artis imaginandi et quidem primum *generatim* conſideratae perfectione ex duplici hoc principio rem conficere poſſumus. Vnum ſcilicet illud hic eſt finis eius artis proximus (§. V.) Itaque perfectio artis imaginandi generatim ſpectatae diiudicanda erit 6) Perfectio α) generatim.

1. Ex multitudine et varietate obiectorum abſentium in animo repraeſentatorum; *

2. Ex eo, quo magis abſentium repraeſentatio accedit ad notiones rerum praeſentium ** quoniam (per defin. §. 1.) abſentia hic repraeſentari debent fere vt praeſentia. Quod quidem fieri poteſt α) quum plura illa obiecta ſimul animo obuerſantur: in ſtatu enim praeſenti omnia, quae ad nos pertinent, ratione noſtrum omnimode ſunt determinata adeoque ſimul exiſtunt, et, modo debitam attentionem adhibeamus, ſimul ſeſe animo noſtro offerunt repraeſentanda; β) quum diu hoc negotium continuatur: praeſentia enim h. e. actu ſenſu noſtro percepta tam diu manent, quam ſtatus noſter non mutatur, ſeu, poſito eodem ſtatu, inprimis quoad

prae-

praecipuas determinationes, ponenda sunt eadem obiecta nobis praesentia; γ) quum impedimentis resistimus externis, quae ab ideis rerum actu nobis praesentium et statum nostrum actualem, qui ab illo statu, in quem nos ope artis imaginandi transferre studemus, diuersus est, constituentium animo obiiciuntur: alioquin enim non tantum ea, quae absentia sunt, nobis fere vt praesentia repraesentaremus, sed et ea, quae vere nobis praesentia sunt, huic repraesentationi admisceremus, quod contra finem foret; δ) quum totum hoc opus tam facili negotio suscipitur, ac si res illae non absentes sed praesentes essent: praesentium enim rerum facilior est repraesentatio, eo quod ab iis motus in organis corporis nostri sensoriis, adeoque et in cerebro ideae earum materiales, quibus ideae animi immateriales respondent, producuntur; id quod vsu non venit in absentibus. Patet hoc determinandae perfectionis principium ex idea habitus, quem vt genus in formanda artis imaginandi definitione posuimus.

* Ne absque necessitate vnam rem bis tractare viderer, in hac sectione generaliori obiecta illa recensere nolui: praesertim quum tanta eorum sit multitudo et varietas, vt difficillime in capita referri breuiter queant. Quae autem in auctore aliquo, cuius quasi personam induere ope artis aliena imaginandi conamur, et speciatim in auctoribus Scripturae sacrae, obseruanda sunt, ea in sequenti sectione erunt notanda.

** Si quis forte miretur, me eam artis imaginandi perfectionem omisisse, quae in relatione ad sensum concipienda esset, vt ne scilicet phantasmata illa imaginationis pro sensationibus habeantur, sed ab illis probe distinguantur; is, quae in nota secunda ad §. I. dicta sunt, in mentem reuocet, nimirum nobis de imaginatione, non vt facultate, et de ordinaria eius ratione,

sed

ſed vt arte quadam eaque in certis caſibus tantum applicanda ſermonem eſſe.

§. VII.

Quodſi vero (miſſa arte imaginandi propria quippe ad rem noſtram non adeo pertinente) ad eam, quam *artem aliena imaginandi* vocauimus, deſcendendum erit, ea, quae §pho praec. generatim dicta ſunt, breuiter hic determinanda ſpecialius videntur. Igitur ars imaginandi aliena perfecta eſt. β) ſpeciatim.

1. Quum omnes illas res, (quae breuitatis gratia *circumſtantias auctoris* appellabimus) quae alteri tum, quum aliquid dixit, vel ſcripſit, vel egit, praeſentes fuerunt, et nobis fere vt praeſentes repraeſentamus;

2. Quum harum circumſtantiarum repraeſentatione animo noſtro eundem ſtatum offerrimus, in quo animus auctoris conſtitutus fuerit neceſſe eſt. Quod quidem contingit, α) quum eadem ratione, qua illi praeſentes fuerunt, eas et nobis praeſentes fingimus: nimirum, ſi ex iis, quae de eo dicta aut facta legimus, perſpicere licet, an omnes circumſtantias ſimul et ſemper, an vero ſucceſſiue et aliquando tantum quaedam eorum, miſſis ad tempus reliquis, ſibi repraeſentarit, vt eandem et noſtrae repraeſentationis rationem efficiamus; β) quum hoc negotium tam diu continuatur, quam in perpendendis auctoris dictis ſcriptis aut factis verſamur; γ) Quum difficultates illas ſuperamus, quae praeſertim in auctoribus antiquorum temporum et iis, qui in remotioribus regionibus verſantur, occurrunt; v. gr. quum cauemus, ne eorum opiniones ritus etc. ex noſtris haud raro multum ab iis abhorrentibus iudicemus. Quae quidem cautio eo magis eſt adhibenda, quoniam non raro oc-

 currit,

currit, vt aliorum populorum opiniones et ritus magnam cum nostris similitudinem habeant et tamen reipsa maxime ab iis discrepent; δ) Quum negotium hoc crebra exercitatione ad habitum perducitur.

* Reliqua, quae de arte imaginandi etiam generatim dici forte possent, iam silentio praetereo, quippe ad scopum meum non adeo multum facientia, atque ad ea tractanda me accingo, in quorum potissimum gratiam sectionem hanc generaliorem praemisi.

SECTIO II.

OSTENDENS APPLICATIONEM AD INTERPRETANDAM SCRIPTVRAM SACRAM.

§. VIII.

Applicationis 1) possibilitas.

Quum de artis imaginandi ad Scripturam sacram interpretandam applicatione ago, facile cuiuis patebit, mihi de ea tantummodo sermonem esse, quam artem aliena imaginandi vocaui (§. II.). Cuius quidem applicationis antequam pertractetur ratio, necesse est, vt ostendam, eam in interpretanda scriptura sacra adhiberi posse, nec auctorum sacrorum dignitati aduersari. Quod igitur tum efficiam, quum ostendero, libros sacros hoc respectu eadem fere ratione, qua profani, esse exaratos. Scilicet

1. Ipse DEus itemque angeli et homines, qui vel loquentes vel agentes in libris sacris inducuntur, secundum circumstantias quae ipsis praesentes fuerunt, locuti sunt et egerunt. Quod quidem momentum vlteriori non indigere videtur demonstratione, quum id ab vno-

vnoquoque, qui ſana ratione praeditus eſt, fieri ſatis conſtet.

2. Auctores ſacri et DEI et ſua et aliorum dicta aut facta absque vlla immutatione recenſuerunt. Atque hoc etiam a nemine in dubium vocabitur, qui de Scripturae ſacrae veritate eſt conuictus.

3. DEus, quum viros ſanctos librorum ſacrorum auctores ad ſcribendum excitaret atque ipſis ea, quae ſcribenda erant, inſpiraret, ſtatui ipſorum, in quo conſtituti erant, et externo ſeſe accommodauit et animi interno. Patet hoc α) quod ad ſtatum *externum* attinet, ex eo, quod alioquin DEus libros ſacros ſtatim ab initio exarationis obſcuritate, quae euitari poterat, laborare paſſus fuiſſet: quod vero fini ſuo, quem in illis ſcribendis ſpectauit, plane fuiſſet contrarium. *Libri enim ſacri primum* in vſum eorum hominum, qui tum temporis vixerunt, exarati ſunt et ab iis tradendi erant poſteris ſuis, ab his ſequioris aetatis hominibus et ſic porro. Eorum quoque librorum nonnulli primum in vſum ſingularum eccleſiarum adeoque certae tantum hominum multitudinis confecti fuerunt, deinde vero etiam cum ceteris communicandi et pariter poſteris tradendi. Quod ſi ergo DEus, quum viros ſanctos has vel illas res literis conſignare iuberet, non temporum et populorum illorum, ſed aliarum gentium et futurarum aetatum, rationem duxiſſet, ex altera parte ipſis perſpicuitatem acquiſiuiſſet, ex altera autem obſcuritatem eamque multo maiorem offudiſſet. Iam vero, quum antiquorum temporum et peregrinorum populorum ſtatum varia ratione cognoſcere nobis datum ſit, facile nobis tota illa difficultas tolli poteſt, quae ex ſtatus noſtri diuerſitate ab eo, ad quem auctores ſacri reſpiciunt, reſultaret; β) quoad ſtatum animi *internum*. Si enim hoc negamus, affirmemus neceſſe

est, DEum auctores sanctos in conscribendo Codice sacro plane vti machinas corporeas adhibuisse atque in actu inspirationis ipsos omni fere spontaneitate priuasse; id quod et creditu difficillimum et dignitati virorum sanctorum et sapientiae diuiuae, vtpote quae tum potius omni instrumento humano carere potuisset, contrarium videtur. γ) *Vtrumque* autem elucet clarissime ex ipsa librorum sacrorum inspectione et aliorum cum aliis comparatione. Ex qua, vt cetera taceamus, tria tantum breuiter liceat notare: א) In libris sacris saepe, breuibus interdum ex instituto, ideae status et Israeliticae et aliarum gentium exhibentur, isque status iis, quae auctores sacri hornm respectu scripserunt exactissime conueniens deprehenditur atque etiam haud rariora sunt ea loca, in quibus, quum alioquin dicta obscuriora forent, explicationis velut gratia ea statim breuiter adiiciuntur, ad quae illa sese referunt v. gr. Gen. XXXXIII. 32. Luc. VII. 21. 22. ב) Deprehendimus in Scriptura sacra loca quaedam, vbi Auctores sacri de iis rebus, quae praeceptis diuinis non adeo stricte determinatae sunt, sententiam suam dicunt secundum propriam rerum considerationem, Spiritu tamen sancto illuminati. Conf. 1 Cor. VII. 10, 12, 25, 40. Igitur a maiori ad minus concludo: Quodsi DEus in inspirando sacro Codice Auctoribus sacris liberum reliquit, et proprias cogitationes, DEI nimirum voluntati conformes, adiicere, non est dubium, quin in illis, quae Ipse iis scribenda suggessit, eorum certe cogitandi et scribendi rationi sese accommodarit, salua rerum ipsarum ratione; ג) Id denique luculentissime patet, quum scribendi generis in auctoribus sacris obuii instituimus comparationem. Equidem non sum nescius, ex stili similitudine aut diuersitate inferendi rationem difficiliorem et magna cum cautione adhibendam esse. Quum vero stili librorum sacrorum eam obseruamus differen-

ferentiam, vt ille non tantum pro rerum varietate rarius sit, sed etiam, quum plures auctores sacri de vna eademque re, et interdum iisdem sub circumstantiis, verba faciunt, ii tamen quoad scribendi rationem quam maxime varient; tuto concludere possumus, id diuersitati ingenii eorum, cui DEus in inspiratione Scripturae sese accommodauit, tribuendum esse. Conf. e. c. 1 Cor. XIII. coll. 1 Io. IIII. 7. ss. Rom. VIII. 31-34. coll. 1 Io. II. 1. 2. Vide et GLASSIVM Phil. Sacrae L. I. Tr. IIII. Sect. III. et IIII.

Ex quibus omnibus colligitur, ea, quae ab Auctoribus sacris scripta sunt, vel ab aliis siue dicta siue facta ab ipsis referuntur, auctorum suorum statui et externo et interno congruentia habenda adeoque et ex eodem explicanda esse; artem ergo aliena imaginandi in interpretanda Scriptura sacra applicari posse.

§. VIIII.

Quando vero haec ars actu applicanda est, circumspiciamus necesse est *principia*, ex quibus Auctorum sacrorum circumstantias cognoscere possimus. Quae quidem dispescere licet in *interna* et *externa*. 2) Principia

Ad *interna* pertinet 1) quum in Libris sacris, in quibus explicandis versamur, illae circumstantiae de industria et ex instituto nobis ob oculos ponuntur. Id quod vsu venit v. c. in libris Mosaicis ratione status ciuilis et ecclesiastici Israelitarum sub Theocratia constitutorum; 2) Quum illae circumstantiae breuiter perstringuntur, ita tamen vt earum certam et nobis sufficientem formare nobis possimus notionem. Exemplo sit locus ad §. praec. cit. Gen. XXXXIII. 32. 3) Quum es iis, quae in libris sacris obuia sunt, cum probabilitate eas circumstantias coniectamus, ad quas illa re- α) interna.

 refe-

ferenda et ex quibus explicanda ſunt. Ita v. c. ex eo, quod Prima Paulli ad Timotheum Epiſtola ex pluribus ſectionibus iisque inter ſe non adeo arcto nexu cohaerentibus conſiſtere deprehenditur, coniectant nonnulli, eius ſcribendi occaſionem fuiſſe epiſtolam aliquam a Timotheo ad Paullum miſſam, in qua ille vt recens epiſcopus atque forſan iuuenis (conf. c. I. 2.) et ab experientia nondum ſatis inſtructus de rebus nonnullis ad munus ſuum ſpectantibus Paullum conſuluerit, ad quas igitur quaeſtiones reſponſa dederit Paullus in epiſtola hac priori. 4) Quum in aliis Libris ſacris quaedam reperimus, quae ad illius, quem explicandum ſumſimus, libri auctorem et ſcriptionis circumſtantias ſeſe referunt. Conf. e. gr. quae Stephanus Act. VII. 22. de ſapientia et auctoritate Moſis et Ioannes de ſe ipſo teſtatur Euang. cap. XVIIII. 26. 34. 35. quae lucem affundunt iis, quae leguntur in ipſius 1 Ep. I. 3. ſq. itemque V. 6.

β) Externa. *Externis* vero accenſentur 1) Auctorum profanorum teſtimonia de iis rebus, quibus coexſtiterunt auctores librorum ſacrorum et ad quas in his conſcribendis reſpexiſſe merito iudicari poſſunt. Quo pertinet vetus Orientis hiſtoria omnis, ſpeciatim autem naturalis, literaria et antiquaria. 2) Conſideratio ſtatus hodierni eorum populorum, inter quos tum vixerunt ſcriptores ſacri et ad quos proxime pertinuerunt ea, quae literis conſignarunt, id quod v. c. fieri facile poteſt in Iudaeis per totum terrarum orbem iam diſperſis et in medio noſtrum degentibus. 3) Deſcriptiones ſtatus hodierni terrarum et regionum illarum, vbi Auctores ſacri vixerunt, quas exhibent itineraria recentiora. 4) Notatio ſtatus eorum inprimis populorum, quibuscum nexus aliquis fuit illis, inter quos et ad quos potiſſimum libri ſacri ſcripti fuerunt. Quamuis non inficias iuerim, maiorem immo maximam in horum externorum principiorum vſu adbibendam eſſe cautionem, ne ex qualicunque teſti-

teſtimonio aut ſimilitudine, tanquam e principio certo, ratiocinia formemus. Quare haec tutius ad confirmanda ea adhiberi cenſuerim, quae ex ipſis ſacris literis nobis innoteſcunt.

Iudaicam atque profanorum populorum hiſtoriam cum ſacra V. T. magno ſtudio comparauit HVMPHR. PRIDEAVX in Connexione V. et N. Tti cum Iudaeorum et vicinorum populorum hiſtoria, cuius libri Anglice ſcripti Verſionem Germ. habemus opere AVG. TITTELII Tomis II. cuius edit. altera Dresdenſis prodiit 1726. 4. cum praefatione V. E. LOESCHERI qua antiquiſſima mundi hiſtoria ſiſtitur. Quod opus et completum redderetur, conſcripſit SAM. SHVCKFORD Harmoniam ſcriptorum ſacrorum et perſonarum in hiſtoria mundi inde a creatione vsque ad decrementum regnorum Iuda et Iſrael ſub Ahas et Pecah, quam, licet non ad finem propoſitum perductam, ex Anglico idiomate in Germ. transtulit THEOD. ARNOLD III. Voll. Berol. 1731. et 1738. 4.

Palaeſtinae deſcriptionem dedit ADR. RELANDVS in Palaeſtina ex monumentis veteribus illuſtrata, Tomis II. Trai. Bat. 1714. 4. Quis autem ſit hodiernus Palaeſtinae ſtatus videre eſt in RICH. POCOCKII Deſcriptionis Orientis T. II. cuius libri verſionem Germ. dedit CHR. ERN. WINDHEMIVS, III. Tomis Erlang. 1754. 4. et aliis, de quibus BALTH. LVDW. ESKVCHE in der Erlaeuterung der Heil. Schrift aus morgenl. Reiſe-Beſchreibungen. Lemgouiae 8.

§. X.

§. X.

3) Subſidia, 4) Finis et 5) Perfectio. De *Subſidiis*, *fine* et *perfectione* artis imaginandi ad interpretandam ſcripturam ſacram applicandae non eſt quod iam verba faciamus, quum ea, quae de his generatim §. IIII. V. et VI. dicta ſunt, facillime hic ſpecialius determinari et applicari poſſunt.

§. XI.

6) Obiecta: ſcilicet Igitur potius eas librorum ſacrorum circumſtantias ſtrictim perſequamur, in quibus vt *obiectis* perpendendis ars haec imaginandi verſatur, et ex quarum conſideratione et comparatione lucem quandam his libris et in ſpecie iis locis, quae alioquin obſcuriora forent, affundere interpres ſacer conatur.

§. XII.

α) Auctor. I. Primus ante omnia conſiderandus venit *Auctor*, vbi quidem *primum* quaerundum, quis ſit libri alicuius ſacri auctor? (Nam quod ad aliorum dicta aut facta, quae in his libris recenſentur, attinet, plerumque eorum auctores nominantur.) Vtplurimum hoc planum eſt ex prioribus libri commatibus, in quibus auctor ſemetipſum prodit; interdum vero alia ratione et argumentis variis id deduci atque confici debet v. gr. in Actis Apoſtolorum, Ep. ad Hebraeos. *Deinde* vero eius notanda ſunt

1. *Nomen*, cuius origo haud raro ex ipſo libro peti poteſt, vt Moſis ex Exod. II. 10. quoue interdum ad eius characterem aut officium alluditur, vt in eiusdem Moſis nomine ex eo, quod מ praef. Part. Pual omiſſum eſt, a quibusdam colligitur, illius ſignificationem et e Part. Kal deducendam eſſe, adeo vt et ſignificet: *extrahens* ſcil. Iſraelitas ex aquis et fluctibus afflictionum apud Aegyptios ſubeundarum. Alii quidem nomen

Moſe

Mose Aegyptiacum esse volunt, de qua sententia videri potest GVSSETIVS Lexici p. 922. PFEIFFERVS Dub. vexat. p. 213. et SIMONIS Onomast. p. 239. et 597. Sed illi absque necessitate ad subsidia externa explicandi Codicis sacri confugere videntur, quum non ab internis destituantur.

2. *Gens* atque *Patria*, an fuerit Iudaeus an Ethnicus natus, et quoad N. Ttum vel ex Iudaismo vel Ethnicismo ad Christianorum castra transierit. Sic v. c. Iobi patria, quae c. I. 1. vocatur Vz non sine ratione ad Arabiam desertam et quidem iuxta Euphratem refertur, indeque lucem accipiunt vari libri ipsius loca, vt c. I. 3. 19.

3. *Educatio*, quam scilicet plurimum ad hominum animos *formandos facere, et in omnem vitam atque* dicendi agendique rationem influere, vel sola experientia constat. Ita quum Paullum natione Iudaeum, inter Iudaeos educatum, ad Pedes Gamalielis in patria lege et in primis recentioribus traditionibus accurate institutum fuisse, ab ipso accepimus Act. XXII, 3. facile intelligitur, cur tanto furore iuuenis in Christianos saeuierit, Act. VII. 57. VIII. 1. ss. VIIII. 1. ss. et post conuersionem quosdam rituum Iudaicorum retinuerit Act. XVI. 3.

4. *Vitae genus* quod etiam in scriptoribus sacris, siue ante vocationem ad munus sanctum obeundum siue et post eam eidem dediti fuerint, multum confert ad eorum scribendi et agendi rationem, vt in Amos, qui pastor fuit c. I. 1. videre est, quum passim de pastoribus et iis rebus et animalibus, cum quibus illis res est, metaphoricas suas locutiones et parabolas repetat c. I. 3. II. 9. III. 4. 12. IIII. 1. VI. 4. 12.

 5. *Aetas*,

5. *Aetas*, cuius variae, quibus obnoxia illa est, mutationes haud parum in animum influere certissimum est. Sic Salomon Ecclesiasten in extremo vitae tempore post exstructa magnifica aedificia c. II. 4. ss. et degustatas ad taedium voluptates multas c. II. 1. ss. VII. 27. conscribens merito de rerum humanarum vanitate queritur.

6. *Temperamentum* idque et physicum et morale, illud in auctoribus sacris, vtrumque in aliis hominibus, quorum dicta et facta in libris sacris recensentur. Ita ex Paulli temperamento cholerico-melancholico ipsius ante conuersionem in Christianos furor et saeuitia, post eam vero zelus ardens in propaganda et contra aduersarios tuenda doctrina salutari intelligi potest.

7. *Scientia*. Exemplum sat illustre dat Salomon, cuius sapientiam maximam non tantum celebratam, 1 Reg. IIII. 29. ss. sed et in omnibus dictis et factis obuiam deprehendimus, inter alia c. III. 16 - fin. et praecipue in exstructis illis aedificiis magnificis, aede sc. DEO dicata et palatio regio, nec non in tribus quos conscripsit libris summa sapientia refertis.

8. *Munus*, cuius rationi sese attemperasse, v. c. Ieremias et Ezechiel sacerdotes, Daniel minister regius, ex ipsorum libris clarum est atque indubitatum.

9. *Status vitae actualis*, h. e. illae circumstantiae vitae, quibus tum actu circumscriptus fuit, quum haec vel illa dixit vel scripsit vel egit. Paullus v. gr. quum posteriorem ad Timotheum epistolam scriberet, Romae in custodia versabatur, ex qua elabendi parum spei habebat. Hinc fit, vt stilum huius epistolae tardiorem ipsumque c. IIII. 6. ss. mortem atque futuram vitam meditantem seque ad eam subeundam parantem deprehendamus.

§. XIII.

II. *Res*, in qua ſcriptor, itemque loquens aut agens versatur, eaque β) Res.

1. *per ſe* conſiderata. Pro diuerſitate enim rei diuerſa eſt ſcribendi et dicendi aut agendi ratio. Igitur longe aliter ſcribit Paullus, quum dogmata religionis et virtutis chriſtianae inculcat, aliter quum Oneſimum Philemonis indulgentiae et amori commendat. Illic ſtilus eſt copioſiſſimus immo et difficilior, hic breuis et planiſſimus.

2. *Relata* ad ſcriptorem aut loquentem vel agentem. Videmus hoc per totam ſeruatoris in terris commorationem confirmatum. Quanto zelo, quanto labore dictis et factis ea perſequebatur, *quae ad ipſius vt Meſſiae* officium proxime pertinebant. Ita iuuenis duodecim annorum diſcendi et docendi ſtudio adeo erat incenſus, vt cetera omnia non curaret: *Oportet enim*, inquiebat, *me eſſe in iis, quae ſunt Patris mei.* Luc. II. 49.

§. XIIII.

III. *Homines* et generatim illi, in quorum gratiam haec vel illa ſiue ſcripta ſiue dicta ſiue facta ſunt, iique iterum γ) Homines.

1. *in ſe* h. e. ſecundum ſuas opiniones, religionem, conſuetam agendi rationem etc. ſpectati. Huius obſeruationis vſus patet per omnes fere Codicis ſacri libros in docendi, diſputandi et agendi ratione, qua vſi ſunt et ipſe DEus et Prophetae in Vet. praecipue autem Chriſtus et Apoſtoli in Nouo Teſtamento. Quemadmodum enim Iudaei, vt omnes Orientis incolae, metaphoricis

et symbolicis locutionibus et actionibus assueti et simul institutorum patriorum sectatores erant tenaces; sic Deus, et inprimis in Nouo Testamento Christus, plerumque per parabolas vel certe metaphoricos sermones eos docebat, et in disputationibus ex propriis eorum principiis contra eos pugnabat: Prophetae vero DEI saepe actiones suscipere debebant in conspectu hominum typicas, quibus generatim voluntatem Eius manifestabant, speciatim autem poenas diuinas propter peccata grauissima ipsis imminentes praefigurabant. Quo et totum Vet. Testamenti cultum Leuiticum referas quippe typicum et maxime ex oeconomia V. T. vt ipsius antitypo, explicandum.

2. *In relatione* ad scriptorem itemque loquentem vel agentem. Cuius quidem rationem habitam esse, pariter in disputationibus Christi obseruamus. Scilicet ille haud raro iisdem armis, quibus contra se aduersarii pugnabant, eos iugulabat. V. gr. quum diabolus Matth. IIII. 1. ss. ipsum tentabat, et ad actiones illegitimas adducere dictis Scripturae sacrae, licet vel corruptis vel peruerse applicatis, conabatur, Christus tentationes omnes eludebat aliis dictis sacris, ex quibus illa intelligenda erant atque explicanda.

§. XV.

ב) א) Occasio. IIII. 1. *Occasio*, cui conueniens esse debuit id, quod ea data siue scriptum siue dictum siue actum fuit. Ita Paullus Actor. XVII. 22. ss. oratione, cuius occasionem, vt ipse iniicit, superstitiosus Atheniensium cultus diuinus praebuerat, id praecipue persequitur, verum DEum nec sensu percipi posse nec imaginibus coli velle, sed rebus omnibus in hoc mundo obuiis, vtpote quae existen-

ſtentiae ortum et durationem ipſi debent, perfectiones ſuas manifeſtare, cultumque ſpiritualem et poenitentiam ab omnibus poſtulare. Sic in nonnullis Dauidis Pſalmis ſub initio ſcriptionis eorum indicatur occaſio, ex qua argumenti ratio explicari commode poteſt, v. gr. Pſ. III. VII. XVIII. etc.

2. *Ratio mouens*, quae, quamuis actu cum occaſione coniuncta ſit, tamen maioris diſtinctionis cauſa ſeparatim concipi poteſt. Ita mandatum diuinum Gen. VII. 2. quo Noachus ex animalibus puris ſeptem h. e. paria tria et praeterea vnum, de impuris vero vnum tantummodo par ſecum in arcam recipere iubetur, non ſatis intelligi poterit, niſi in animum reuocetur ratio mouens, quae in ipſa voce *impurus* latet. Scilicet inter Patriarchas iam diſtinctionem impurorum animalium a puris eamque diuinitus factam obtinuiſſe neceſſe eſt, quamuis peculiare hac de re praeceptum multo demum poſt datum legimus. Igitur, quum non tantum ad propagandas ſpecies ſed et ad ſuum et familiae immo et poſterorum victum animalia in arcam recipere debebat Noachus, purorum, ſeu quorum carne veſci licebat, animalium paria tria ad ipſorum propagationem, vnum ad alimentum ſumſit. * ב) Ratio mouens.

3. *Scopus* isque proximus: cui, ſiquidem ſtudioſe erutus et ex ſolidis rationibus conſtitutus fuerit, omnia exacte reſpondere debent. Ita in difficultates, ex quibus explicari haud poterunt, ſeſe implicant, qui Moſaicorum librorum ſcopum eum fuiſſe putant, vt hominibus hiſtoria mundi vniuerſalis traderetur. Neque multo melius ſibi conſulunt, qui in iis completam populi Iſraelitici deprehendere volunt hiſtoriam. Etenim probe hos libros inſpicienti patet, verum Moſis finem in iis conſignandis fuiſſe, vt verae religionis prima principia poneret, ג) Scopus.

neret, eam lapſu generis humani obſcuratam peſſundatamque ſed et incrementa per omnia ſecula capientem, eiusque per Chriſtum inſtaurandae adumbrationem cultu DEI externo exhibitam eo potiſſimum oſtenderet, vt ex primorum terrae incolarum et deinde praecipue Iacobi poſterorum fatis eam maxime partem nobis ob oculos poneret, ex qua elucet, quemadmodum DEus ab omnibus terrae populis vnum ſeparauerit, in peculium quaſi ſuum acceperit, et in eodem veram religionem, quae Meſſiatica fuit, verumque cultum ſibi praeſtandum conſeruarit atque amplificarit. Ex quo quidem fine, vt alia taceam, id quoque intelligi poteſt, cur multorum annorum immo ſeculorum hiſtoria breuiſſime, contra vero ea, quae intra paucos annos geſta ſunt, multo copioſius interdum a Moſe ſint pertractata.

* Vlteriorem huius rei diſquiſitionem et *Clerici* diſſentientis et ſeptem animalium mundorum paria in arcam intraſſe exiſtimantis refutationem vide in Annotationibus Excell. I. G. TYMPII, quas interpreti Danziano Ien. et Lipſ. 1755. 4. a ſe edito, et quidem §. 7. II. ad lit. i. adiecit.

§. XVI.

e) Tempus. V. *Tempus*, eiusque inprimis ad eam rem, in qua ſcriptor itemque loquens vel agens verſatur, relatio. Cuius obſeruationis vſus in conſideranda ſalutis ſub Vet. et Nouo foedere oeconomia et quidem, vt alia mittam, praecipue in vaticiniis de Meſſia venturo editis patet. Videmus

mus enim, his, pro infinita Dei sapientia temporum rationem maxime ducente, sensim sensimque maiorem claritatem additam, eaque tandem breui ante ipsum seruatoris aduentum per omnis generis characteres distincte expressos tam perspicua reddita esse, vt stupenda sit illa populi Iudaici coecitas, qui in tanta luce oculis videre renuebat. Ex eadem temporis obseruatione ratio peti potest conciliationis mandati seruatoris Matth. X. 5. s. cum eo, quod refertur c. XXVIII. 18. ss. Conf. enim Act. XIII. 46.

§. XVII.

VI. *Locus*, vbi commoratus fuit auctor, atque quidem ζ) Locus. et *generatim* in qua regione et vrbe, et *speciatim* disquirendum, publico an vero priuato, itemque sancto an profano loco fuerit versatus, quum haec vel illa siue dixit, siue scripsit, siue egit. Vnum tantummodo exemplum dabo. Moses Deut. XXVII. 1. ss. ex auctoritate Dei populum Israeliticum, postquam Iordanem traiecturus fuisset, iubet altare erigere, sacrificia eucharistica Deo offerre atque hoc solenni ritu terrae sanctae possessionem occupare. Cui quidem altari erigendo designat locum in monte Ebal, populo autem ad benedictionem et maledictionem audiendam congregando planitiem inter montem Ebal et Gerizim, quemadmodum et factum postea legimus Ios. VIII. 30. ss. Iam vero quaeri posset, cur Deus hanc solennitatem statim fieri noluerit, quum etiam in ea terrae sanctae parte, quae trans Iordanem sita erat, Peraea scil. pedem figerent Israelitae, sed hunc praecise locum eidem reseruarit? Ad quae forsan haud commodior dari poterit re-

spon-

ſponſio, quam ea, quae ex horum locorum ſanctitate petitur. Nimirum iam Abrahamus Gen. XII. 7. deinde Iacobus c. XXXIII. 20. ibidem primi altaria aedificauerant atque ſacrificia Deo obtulerant, quemadmodum eodem loco, vbi Abrahamus alterum altare erexerat, qui per prolepſin Bethel vocatur c. XII. 8. et Iacobus altera vice altare exſtruxit c. XXXV. 14. 15. Igitur Deus etiam in hoc ſolenni et vniuerſali ſacrificio hanc loci ſanctitatem conſeruare et quaſi renouare, ſuam in ſeruandis promiſſis Abrahamo ibidem datis veracitatem oſtendere atque Iſraelitas ad auitam religionem diuinamque legem ſtudioſe obſeruandam adſtringere voluit: Vid. pluribus TYMPII diſſ. de Cultu diuino V. Tti ad ſtata loca reſtricto Ien. 1722. habitam §. 30.

§. XVIII.

n) Conſuetudines.

VII. *Conſuetudines* locorum atque temporum, ex quibus, quae alioquin intellectu difficillima ſunt, haud raro facili negotio explicantur. V. gr. 1. Sam. VIIII. 6. ſſ. puer Saulo Samuelem adeundum ſuadet vt virum diuinum, qui ipſis viam, qua ad reperiendas aſinas deperditas ire deberent, oſtenderet. Saulus obiicit: *Quodſi adeamus, quid afferamus viro Dei? Quandoquidem cibus ceſſauit e vaſibus noſtris: neque munus nobis eſt, quod illi afferamus. Quid nobis eſt?* Cui ſeruus reſpondet: *Ecce in manibus meis eſt quadrans ſicli: hunc daturus ſum viro Dei, vt annunciet nobis viam noſtram.* Quae quidem primo intuitu eam nobis offerre poſſent cogitationem, quaſi vates diuinus pro mercede reſponſa dederit, id quod indignum videretur.

Sed

Sed omnia clara fiunt, quum in mentem vocamus morem in tota Aſia tum temporis vſitatiſſimum, quod inferiores, quum ad nobiliores praeſertim ad reges accedere volebant, vrbanitatis et reuerentiae gratia aliquid muneris afferrent. Quocum conuenit, quod Deus, qui ſe vt regem in Theocratia V. T. coli voluit, vetaret quenquam vacuum coram facie ſua apparere Ex. XXIII. 15. Conf. *Maundrellus* Itinerarii p. 35. edit. Germ. qui idem et hodie in Aſia obtinere teſtatur, et vel infimos de plebe ac pauperculos florem, malum citreum aut ſimile quid ſecum ferre venientes in conſpectum honoratioris.

§. XVIIII.

VIII. *Omnes* denique, licet vel minimae, *circumſtantiae*, quarum notitiam cum certitudine aliqua nobis comparauimus, quaeque iam, quum adeo prolixior eſſe nolui, ſpeciatim determinare hic dubito. Omnes circumſtantiae.

§. XX.

Denique non prorſus ſuperfluum erit, *regulas* quasdam ſuppeditare, quae in applicatione artis imaginandi ad ſacrum codicem interpretandum praecipue veniunt obſeruanda. 7) Regulae.

1. Circumſtantiae ex certis principiis, de quibus §. VIIII. eruendae ſunt, et cauendum, ne aliquid precario poſiti aut pro lubitu ficti immiſceatur. Id v. c. attendendum eſt in ſubſcriptionibus epiſtolarum Paulli-

rum, quibus vtpote recentioribus fidere merito dubitamus, praesertim quum in quibusdam earum reperiamus circumstantias, iis, quas e textu ipso colligere debemus, repugnantes.

2. Circumstantiae non separandae, sed, quantum fieri potest, simul animo sunt repraesentandae, nisi, quasdam earum ad rem, in qua explicanda versamur, declarandam plane nihil facere, manifestum sit. Etenim ita eas nobis repraesentare debemus, quemadmodum auctoris animo fuerunt obuersatae. (§. VII. 2. *a*)

3. Primum autem et praecipue illae attendantur res, quae maxime in hominum animos influere solent, aut arctiorem cum ea re, quam explicandam nobis sumsimus, nexum habere luculenter patet. Ita v. c. scopus orationis aut actionis nunquam ab interprete negligendus est, quoniam neque profani auctores sana ratione vtentes, quanto minus sacri, eundem negligant; sed potius omnia eidem conuenienter ordinent.

4. Quod speciatim ad dicta virorum sanctorum attinet, id cogitemus necesse est, eos fuisse quidem homines sed spiritu sancto afflatos et ipsius auctoritate et ductu loquentes; ne scil. indigne de illis sentiamus; eosque humanis affectionibus magis quam par est obnoxios existimemus. Igitur et in hac re discrimen Interpretationis profanorum sctiptorum ab Hermeneutica sacra probe erit obseruandum.

5. Ce-

5. Cetera principia hermeneutica neutiquam negligantur ſed omnino conferantur. Etenim explicatio, etſi cum circumſtantiis optime cohaerere videatur, quum principiis ceteris, v. c. formae aut ſyntaxi grammaticae, eſt contraria, ſenſum quidem per ſe commodum gignere poteſt, ſed ab intentione auctoris abhorrentem.

6. Denique iſte verborum ſiue ſcriptorum ſiue ore prolatorum nec non actionum ſenſus, qui ope applicationis huius artis imaginandi et ceterorum principiorum collatione eſt confectus, parallelismo, quoad fieri poteſt, verbali et reali, eoque in primis domeſtico, deinde etiam aliorum ſcriptorum illuſtretur atque confirmetur.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

MICHAELI DANIELI STEENIO

S. P. D

IO. ERN. IMM. WALCHIVS

Quod mihi, VIR PRAENOBILISSIME, in litterata TVA, quam meditaris, pugna, dissentientis prouinciam voluisti demandare, id certe eiusmodi est, vt cum TIBI gratulandi; tum de ipso, mihi in hoc erudito certantium congressu demandato, munere laetandi, summas prae me habere, mihi videar rationes. Gratulor TIBI, VIR PRAENOBILISSIME, et merito TIBI gratulor de tot insignibus, quae TIBI iam comparasti, et nunc comparas, ornamentis, de tam egregiis laudum TVARVM, quas facis, accessionibus deque eximio plausu, quem TIBI, tanto eruditionis adparatu; quanta ingenii praestantia contra aduersarios TVOS disputaturo, publice conciliabis. Neque vero non summo iure victoriam et laureas ante ipsum conflictum TIBI pollicetur politissimum ingenium TVVM, cuius vires; sunt autem egregiae, saepius iam cum priuatim; tum publice cognitas

fecisti.

fecisti. Quae omnia si mecum perpendo, non possum non et TIBI de tam praeclaris eruditionis ac singularis TVAE diligentiae, quae statuis, monimentis, et patriae TVAE dulcissimae de TE TVIsque praestantissimis, quas ipsi colligis, doctrinae opibus gratulari. Verum est quoque, quod summopere laeter de hoc litterato TVO certamine et quod me in eodem ad arma, contra TE ferenda, prouocare, apud TE constituisti. Quidni laeter, si TE in eodem loco constitutum fortiterque ac strenue pugnantem conspiciam, ad quem TE haud ita pridem a me duci, voluisti, vt meis auspiciis ingenii TVI vires ibi experirere? Quidni laeter, si certamen TVVM videam moderari virum clarissimum ac certe doctissimum, amicum meum, quem maximi facio, quique iam ante TE me ducem ac comitem habuit in litterato, quem tunc summa cum laude iniit, conflictu? Quidni, inquam, laeter, si ad eamdem arenam ambo doctissimi viri sequi me iubent, in qua quisque diuisim meo praesidio summa cum eruditionis gloria certauit? Sequar lubens; habebis vero me, VIR PRAENOBILISSIME, non tam aduersarium, quam virtutum TVARVM TVAEque doctrinae testem et publicum praeconem. Quod reliquum est, constanti TVO fauori me studiose commendo animumque TIBI addictissimum TVIque studiosissimum TIBI offero, spondeo ac polliceor. Vale, et, vt semper soles, res TVAS age feliciter. Ienae, d. XXXI martii CIↃIↃCCLVIII.

 VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO
RESPONDENTI HVIVS DISSERTATIONIS
ERVDITISSIMO
FAVTORI MAXIME COLENDO

S. P. D.

IOAN. STEPHAN. MVLLER.
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET AMPLISS. FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTVS.

Non eſt, vt laudes TVAS, VIR PRAENOBILISSIME, cum cura conquiram. Tanta enim induſtria in eruditionis virtutisque campo curris, vt iſte intenſiſſimus animi TVI labor multos TIBI aequales poſt ſe relinquat, paucos admodum pares admittat, neminem facile ſuperiorem praecurrere patiatur. Recordor, dum haecce ſtatuo, palmas bene promeritas, quas olim reportaſti ex eo publico loco diſputandi, quem iterum fortiter conſcendis. Nouo TV nobis vis TVOque proprio exemplo commonſtrare, nihil tam eſſe difficile, quod non induſtria vincat. Ego gratulor, non autem TIBI tantum, cui ſemper laudes certae ſunt; ſed etiam ampliſſimae TVAE familiae, ad cuius ſplendorem tuendum mens TVA egregia, aſſiduitas, mores, quibus conſpicuus es, et reliqua omnia, quae in TE Academia noſtra admiratur, comparata ſunt. Immo ipſi patriae TVAE congratulor, quae ex TVA dexteritate atque ſolertia perfruetur ſibi et TE poſt felicem TVVM atque indefeſſum curſum brabeo, quo dignus, certiſſime coronabit. Vale et mihi faue. Ienae d. XXX. Mart.
CIↃ IↃCCLVIII.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

RESPONDENTI

MICHAELI DANIELI STEENIO

FAVTORI AESTVMATISSIMO

AMICO SVAVISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

Multas easque iustissimas habui rationes, quibus commotus a TE petii, vt cathedram philosophicam mecum conscenderes. Quoties enim in mentem venit praeteriti temporis, venit autem quotidie, dulcissimo cum sensu non tantum Patriae carissimae et Doctorum excellentissimorum communionis verum etiam in primis amicitiae atque familiaritatis nostrae, quarum alteram commune studium attulerat alteram consuetudo, recordor. Accedit magni istius RICHEII, cuius TV dignus nepos existis, quiue prorsus singulari fauore et beneuolentia me semper amplecti non dedignatus est, recordatio suauissima eaque animo meo infixa sempiterna. Quae quidem omnia et alia multa

TEcum

TECUM arctiſſimo dudum vinculo me iunxerant, adeoque et facultatem quandam mihi praebuerant, amoris TVI in me documenta exſpectandi. Neque ſpem euentus fefellit. TV enim, VIR DOCTISSIME, petitioni meae ſtatim locum reliquiſti, et defendentis partes proxime in actu diſputationis publico obeundas pro humanitate TVA ſuſcepiſti. Pro qua quidem humanitate grates TIBI debeo et habeo maximas, animumque ſpondeo ad quaeuis officiorum genera TIBI praeſtanda paratiſſimum. Numen, quod in coelis eſt, benigniſſimum laboribus TVIS adſit atque fauſta omnia et felicia TIBI contingere iubeat: vt mihi amicus ac fautor aeſtumatiſſimus, praecipue autem Patriae inclytae atque ſplendidae Genti clariſſimus conſeruetur ciuis, qui eruditione et virtute SVA efficiat, vt, quanto honore ex vtriusque dignitate afficiatur, non minora ipſis ornamenta ex SVA laude reddantur. Scripſi Ienae

d. V. April. CIↃIↃCCLVIII.

